

No. 19. 1291.

Landgraf Albrecht und Markgraf Otto fordern den Schultheiss, Rath und die Bürgerschaft von Leipzig auf, die Stadt dem Bischof von Merseburg zu übergeben und demselben zu hulden.

Albertus dei gratia lantgravius Thuringiae, comes palatinus Saxoniae, Otto eadem gratia marchio Brandenburgensis et de Landesberc honorabilibus et discretis viris scultheto et consulibus ac communitati civitatis Lipzk salutem et omne bonum. Universitati vestrae innotescimus praesentibus, quod cum reverendo domino nostro Hinrico Merseburgensis ecclesiae episcopo placitavimus et vidimus et cognovimus re vera, ius suum iuri omnium, qui civitatem Liptzk et ipsius attinentias inpetunt longius et melius praevalere, quocirca universitatem vestram duximus studiosissimis precibus exorandam et exhortandam desiderio quo possumus ampliori, quatenus deum et eius iustitiam cordis oculis intuentes et totius nostri intuitu servitii et amoris vestram civitatem eandem praefato domino episcopo praesentetis facientes eidem et suae ecclesiae omagium, quod hulden in teutonico dicimus, obedientes benivole eidem ut vestro domino de iure tenemini obedire, scientes si in hoc nostris obtemperaveritis precibus et monitis, ita quod praefato domino nostro episcopo ipsam civitatem praesentaveritis et omagium feceritis, quod tunc statim abrenunciavimus et abrenunciamus omni iuri et omni inpetitioni, quam habuimus et habemus super vos et super vestram civitatem huc usque, volentes ad haec promotioni vestrae omni tempore intendere tamquam nobismet ipsis omagium fecissetis. In praedictorum omnium evidentiam praesentem nostram apertam literam vestrae universitati mittimus sigillorum nostrorum appensione roboratam. Data sunt haec Ylburg anno domini M^o CC^o LX^o XXX^o primo. Si vero praefata omnia facere renueritis quod non speramus, tunc scire vos cupimus, quod praefatum dominum nostrum episcopum deserere non possumus nec volumus, sed astare eidem fideliter toto posse. Unde super eo et super praemissis omnibus nobis vestram remandari petimus subiectionis voluntatem.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Merseburg mit den beschädigten Siegeln des Landgrafen und des Markgrafen an Pergamentstreifen.

No. 20. 1292. 4. Jan.

Elena Wittve des Markgrafen Dietrich und Katharina Wittve des Markgrafen Friedrich beurkunden, dass Bischof Heinrich von Merseburg der Tochter des Markgrafen Friedrich Elisabeth die Stadt Leipzig mit den vier Gerichtsstühlen und den unverlehnten Gütern in der Stadt zu Leibgedinge geliehen habe.

Nos Elena dei gratia relicta Theoderici marchionis de Landesberc nosque eadem gratia Katherina relicta Friderici quondam Misnensis, Orientalis et de Landesberc marchionis bonae memoriae recognoscimus tenore praesentium protestantes, quod hominum et fidelium nostrorum mediante consilio cum venerabili domino Heinrico Merseburgensi episcopo tractavimus, quod idem dominus episcopus suo et ecclesiae